

† N E C R O L O G I A

† R. P. Ioannes Ev. Polifka

(Prov. Austriacae)



P. Polifka in votis habebat, ne aegrotus fratribus molestias pararet, ut sacerdotali aliqua functione in cura animarum peracta subito a Domino e vita vocaretur. Quod Dominus fideli servo benigne concessit. Feria VI in Parasceve d. 7 Aprilis 1939, annum aetatis septuagesimum sextum assecutus, festa paschalia laetus cum fratribus transegit et in s. confessionali laboravit, e quo cum feria II post Pascha, d. 10 Aprilis, ad horam vespertinam octavam cum media surrexisset, cubitum ire paravit; sed antequam lectum ascendit, cordis apoplexia correptus est. A Patre, qui eum humi iacentem invenit, absolutione quidem et extrema unctione munitus est, sed vix iam tum vivus. Tamen haec mors solatii nobis plena est.

Ioannes Polifka in vico Austriae inferioris Orth ad Danubium natus est die 7 Aprilis a. 1863 loco humili, sed mox Vindobonae in domum cuiusdam amici Congregationis nostrae receptus filii prope loco habitus est,

unde etiam Congregationem cognovit eiusque amore imbutus est. Studiis humanioribus in seminario Vindobonensi minore peractis maius seminarii ingressus est, sed post duos annos theologicos Congregationi nomen dare voluit, quod consecutus a. 1887 festo S. P. N. Alfonsi vota perpetua professus est. In studentatu deinde Mauternensi in studia cum incubuisset, mentis morbo correptus in valetudinarium deducendus erat. Sed qui Beatae Virginis pietatem a puero coluerat, eiusdem matris optimae, cui studium Praefectus cum optimo Ioannis amico ad Cellam Marianam (*Mariazell*) cum lacrimis eum commendarat, ope manifesta sanatus est, ita ut deinde per annos prope quinquaginta usque ad mortem ne minimum quidem morbi vestigium appareret. Iam die 27 m. Ianuarii a. 1890 ad sacerdotium et die 30 e. m. in primo sacro ad altare ascendere potuit.

Studiis deinde perfectis in varias Provinciae domos missus saepe Superiorum iussui oboediens caelum mutavit, ita ut per primos triginta sacerdotii annos decies ex una Provinciae domo in aliam migrarit. Ita bis domum Puchhemensem, semel Ketzelsdorfensem, Pragensem, Filippsdorfensem, Dornbirnensem, Eggenburgensem, Vindobonensem ad Scalas B. Mariae V. ab anno 1890 ad 1909 vidit, ubique in laboribus apostolicis operam diligentissimam navans. Post Capitulum generale a. 1909 Rector collegii Eggenburgensis creatus est. Proximo triennium cum Ministri munere incepit Vindobonae XVII (*Hernals*), sed iam d. 29 Aprilis 1913, defuncto subito Rectore P. Aloisio Knoll, domum regendam suscepit et usque ad mensem Maium a. 1918 sapienter gubernavit. Tum denique ad Scalas Marianas reverti potuit, quae domus tamquam cunabula totius Congregationis Transalpinae et propter tumulum S. Clementis M. Hofbauer ac postea Patris Janauschek ei prae primis cara fuit. Ultimos itaque viginti et unum annos vitae in hac domo sibi praedilecta transigere potuit, non quietus sedens, sed, quoad potuit, semper in laboribus indefessus ac strenuus.

Dolendum est, quod indicem omnium laborum apostolicorum non reliquit. Tantummodo usque ad annum 1904 index missionum et renovatum e variis domibus habitarum numerum 104 continet. Sed ad haec etiam permultae postea habitae adiungendae sunt, et quidem non solum intra limites Provinciae nostrae, sed etiam extra Austriae fines, quo saepe vocatus est P. Polifka missionarius erat non unus e multis, sed egregius tam in pulpito quam in confessionali, et sacerdotibus animarum pastoribus et populo acceptissimus. Praeterea autem innumera tum sacerdotum, tum religiosorum religiosarumque atque laicorum exercitia spiritualia habuit, ad quae omnia diligentissima cura se praeparabat, ita ut nihil praedicaret, nisi quod diligenter elaboratum conscripsisset. Peculiari erga Beatam Virginem amore ductus per multos annos variis locis cotidianas mense Maio contiones in eius honorem habere solitus est, quas, cum semper omnia minutim elaborata conscriberet, deinde etiam typis in vulgus edidit.

Librorum eius in vulgus editorum numerus legio est, nec solum materias contionum continentium, sed etiam vitas sodalium nostrorum, ut venerandi Fratris Ioannis Baptistae Stöger et clarissimi Patris Georgii Freund. Quo in genere quasi cum S. P. N. Alfonso comparare eum licet, quod in vita tam laboriosa semper etiam tempus invenerit, quo ad signanda ingenii sui lumina uteretur.

Vere homo nos reliquit inter primores nominandus, cuius vita laborum apostolicorum plena ex intima animi pietate fluxit. Nota huius pietatis maxime peculiaris erat amor Iesu Christi in SS. Eucharistia praesentis seque immolantis. Quotquot sacris praeter suum adesse poterat, iis omnibus interesse semper in deliciis habebat, ipse autem ne morbo quidem agitatus ad altare accedere omisit medicosque haud raro id prohibere volentes quasi vi admota ad consentiendum adegit. Quo factum est, ut per totos fere quinquaginta sacerdotii annos ne unum quidem sacrum omitteret, nisi quae s. Ecclesia Hebdomade Sancta omitti iubet. Si quando penuria Patrum unum alterumve Patrem bina sacra litare oportuit, id magnam sibi concessam gratiam putavit. Peculiari vero pietate s. sacrificii fructus animabus sanctis in purgatorio detentis applicare sategit, quare, quotienscumque rituum praescriptis id permittebatur, missam de *Requiem* dicebat. Indulgenciarum quoque lucrandarum occasionem eis iuvandis vix umquam omisit, ad quod studium etiam animas curae suae commissas ducebat. — Altera vero pietatis eius tessera fuit tenerrimus B. Mariae V. cultus, cuius praesertim rosarium ita dilexit, ut non solum praescriptas nobis quinque decades, sed omnes quindecim cotidie devotissime dixerit. Eius etiam laudes praedicare ei carissimum erat.

Amore vocationis Congregationisque nostrae plenus sodales quoque officiosa caritate prosequebatur, omnibus propterea carissimus. Sed eius amabilitas animos quoque tum sacerdotum, quos multos notos amicosque habuit, tum animarum piarum ei conciliaverat, quod praecipue manifestatum est, cum frequentissima et cleri et populi turba comitante in magnum urbis coemeterium efferretur, ubi id, quod mortale in eo erat, resurrectionem exspectat, dum immortalem animam iam Deo frui confidimus. R. i. p.!